



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla**

**Pareus, Daniel**

**Francofurti, 1633**

Episcopi Romani.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

Post Licinium à Constantino Magno Collega interfectum, nullæ deinceps à gentilibus persecutiones manarunt, sed ab hæreticis Imperatoribus.

### EPISCOPI ROMANI.

Episcopi Romani, vsq; ad Constantini Magni tempora, fuerunt omnes pastores absque mitris, simplices, & in Euangelii messe ad martyrium vsque laborantes.

Clemens, omisso Cleto, numeratur ab Eusebio post Anaclerum: Anno Traiani 3. in mare submersus dicitur. Sedisse A. 9. M. 6. D. 4.

Euaristus, seu Eucharistus, qua occasione Romam venerit, aut episcopatum adeptus sit, incertum est. Martyrio coronatum esse, apud vetustiores non inuenitur: recentiorum alii sub Traiano, sub Hadriano alii martyrem faciunt.

Post Eucharistum Alexander I. Episcopus Romanus ponitur, & multa propter Christum passus esse dicitur.

Alexandro è medio sublato, successit Sixtus I. vel Xistus, patria Romanus. Alii annos 9. præfecturæ ipsi tribuunt, alii plusquam 10. Eundem Platina vitam martyrio finiuisse, asserit; Damasus vero & Eusebius martyrii nullam prorsus mentionem faciunt.

Post Sixtum Telesphorus Episcopatum Romanum consecutus est, natione Græcus. Cæsar Baronius hunc martyrem facit, Anno Domini

mini 154. Antonini Pii 15.

Post Telesphorum Higinus Atheniensis, sedit aliis A. 4. M. 3. D. 4. aliis A. 3. M. 11. D. 28. De mortis genere non constat: aliis martyr, aliis confessor est, phrasi pontificia.

Higino successit Pius I. Italus Aquileiensis, cui Platina annos 11. Eusebius 15. Damasus 19. tribuit. Tam certæ sunt historiæ Romanorum Pontificum.

Pio successit Anicetus, Syrus, ad quem Polycarpus Romam venit, ut dissidia, quæ de paschate orta erant, componeret. Interfectus est Anicetus Romæ, cum sedisset annos 9. fere, sub M. Antonino Philosopho.

Post Anicetum ponitur Soter Fundanus ex Campania; cuius temporibus sæuissimæ persecutionis tempestas Ecclesias Christi in Asia, Gallia, & alibi horribiliter quassavit per decennium. In eadem persecutione ad martyrium raptus scribitur Soter, cum sedisset A. 4. aliis 10.

Soteri successit Eleutherius, natione Græcus: sub quo Ecclesia passim aliquandiu tranquillitate fruebatur, adeo ut Romæ multi ex nobilitate cum coniugibus & liberis baptizati sint. Lucius etiam, Britannorum Rex, misit ad Eleutherium epistolam, obsecrans, ut per eius mandatum Christianus efficeretur: Et mox effectum piæ postulationis consecutus est; susceptamque fidem Britanni usque in tempora Diocletiani principis inuiolatam integramque quieta pace seruarunt. Eleutherium autem pro-

propter religionem Christianam capite truncatum fuisse, refert Balæus. Platina, & alii, nullam martyrii mentionem faciunt.

cc Eleutherio successit Victor I. natione Afer,  
 cc qui primus auctoritatem in alios Episcopos, et  
 cc iam ultramarinos, & in externas Ecclesias sibi  
 arrogavit. Asiaticos enim, qui Pascha decima  
 quarta luna celebrabant, ab Ecclesia rescidit &  
 excommunicavit, contradicentibus aliis Episcopis,  
 in primis Irenæo, Episcopo Lugdunensi. Vixit sub  
 Severo Imp. & supplicio affectus est à præfecto  
 Urbis, ob religionem, Ann. Christi 201. cum  
 sedisset annis novem, mense vno, diebus 28.

Victori successit Zepherinus, Romanus; quem plerique simpliciter mortuum, quidam martyrem faciunt, circa annum Domini 219. cum sedisset annis 18. totidem dies.

Zepherino successit Callistus I. Romanus, qui iussu Alexandri Severi Imperatoris supplicio affectus est Romæ, Anno Christi 224. cum sedisset A. 5. M. 1. D. 12. Eusebius tamen ante imperium Alexandri decessisse affirmat, & martyrii nullam mentionem facit.

Callisto successit Urbanus I. Romanus, qui martyrio affectus est, Anno Domini 231. cum sedisset A. 6. M. 7. D. 4.

Urbano successit Pontianus, qui ab Alexandro Imperatore in Sardiniam infulam eiectus in exilium, iussu Maximini trucidatus est: Anno Domini 235. Quidam naturaliter decessisse in exilio affirmant.

Pon-

Pontiano successit Antherus, natione Græcus, qui cum iussisset martyrum historias diligenter annotari, ipse ad martyrium raptus est, Anno Domini 236. sub Maximino Imp.

Anthero successit Fabianus, Romanus, qui sub imperio Decii ob religionem Christianam capite truncatus scribitur, Anno Domini 251.

Post diuturnam sedis Romanæ vacationem, Fabiano successit Cornelius, ad quem aliquot Cypriani extant Epistolæ. Eiectus est in exilium à Volusiano Imp. inde reductus Romam, capite cum multis aliis plexus, Anno Domini 253.

Cornelium in Episcopatu secutus est Lucius, natione Romanus, qui martyrium capitis ob truncatione compleuit, Anno Domini 255. sub Valeriano Imp.

Lucio successit Stephanus, Romanus: qui se, Cypriano, & Concilio Africano opposuit in controversia de hæreticis rebaptizandis. Scripsit aliquot ad eum Epistolas Cyprianus, quæ inter opera eius extant. Coronatus est martyrio iussu Valeriani, cum infinitis aliis, Anno Domini 258.

Stephano successit Sixtus II. natione Græcus, patria Atheniensis: qui in extirpandis hæresibus Sabellianorum, Cerinthianorum, & Nepotianorum, strenue laboravit: tandem ab iisdem apud Valerianum Imperat. accusatus ad capitis supplicium raptus est, Anno Domini 259.

Dionysius, originis obscuræ, ex monacho

Pon-

- » Pontifex creatus, fuit hæresium expugnator  
 » insignis, & naturali morbo defecisse creditur,  
 Anno Domini 266. Erat eo tempore Ecclesiæ  
 tranquillitas. Nam Gallienus Christianis pa-  
 cem edictis publicis dabat.

Dionysio in Episcopatu Romano successor  
 datus est Felix; qui Ecclesiasticam guberna-  
 tionem sustinuit tempore Claudii & Aureliani;  
 martyrio affectus Anno Domini 273.

Felici successit Eutychianus, Thuscus, qui  
 plures martyres suis manibus sepelisse dicitur,  
 tandem & ipse martyr. Quot annos præfuerit  
 Ecclesiæ Romanæ, incertum est.

Post Eutychianum Episcopatum suscepit  
 Caius, Dalmata, Diocletiani ex fratre Nepos,  
 qui dicitur fugisse persecutionem, & in cryptis,  
 locis subterraneis habitasse; tandem vero in  
 lucem protractus, vitam finiuisse, Anno Do-  
 mini 296.

Caii successor Marcellinus, Romanus, in  
 persecutione Diocletiana pollicitationibus,  
 blanditiis, & minis Diocletiani compulsus, i-  
 dolis sacrificavit: sed postea ad Ecclesiam re-  
 diit, & constanti animo pro fide Christi mar-  
 tyrium subiit, Anno Domini 304. Iacuit inse-  
 pulus in via publica dies 36.

Marcellini successor Marcellus I. quum re-  
 ligionem Christianam magno zelo propaga-  
 rer, Maxentius eum comprehensum in stabu-  
 lum equorum damnauit, vnde post menses 8. à  
 clericis noctu liberatus, at paullo post retractus,  
 ex fœtore obiit, Anno Domini 309.

Mar-

Marcello successit Eusebius, natione Græcus, qui sub Maxentio tyranno martyrio consumptus dicitur, Anno Domini 311.

Eusebio successit Miltiades, natione Afer, quem Platina Maximini iussu martyrio coronatum fuisse scribit: Anno Domini 313.

PATRES, siue PRÆCIPVI  
Doctores Ecclesiæ.

Post Apostolos, Christus ad dextram Patris regnans, excitauit illustres Ecclesiæ Doctores, quorum opera & labore Euangelium plantatum, latiusque propagatum est. Sunt autem præ aliis celebres hi sequentes, à temporibus Apostolorum, vsque ad Concilium Nicænum.

Dionysius cognomento Areopagita, Paulum Athenis concionantem audiuit; tandem sub Traiano, plenus dierum, martyrii corona honestatus est.

Ignatius, Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus, commouente persecutionem Traiano, Romam perductus, bestiis obiectus est, & discerptus, Anno Domini 108. Scripsit aliquot Epistolas, quæ hodie interpolatæ & adulteratæ leguntur.

Polycarpus, Iohannis Apostoli discipulus, ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus fuit. Propter quasdam super die Paschæ quæstiones, sub Imperatore Antonino Pio, Ecclesiam in Vrbe regente Aniceto, Romam venit, vbi plurimos

H

cre-